

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Religio c
cum fonte primo

Et
rursus illi qui
aliquid uidebantur in seculo esse non
habeant fastidio fratres suos qui ad illam
sanctam societatem ex paupertate
uenerunt. Magis autem studeant non de
parentum dignitate, sed de
pauperum fratrum societate gloriari.
Nec extollantur, si communi uite de
suis facultatibus contulerint aliquid, nec
de suis diuiciis magis superbiant quia
eas monasterio parciuntur quam si eis in
seculo fruerentur. Alia quippe
quecumque integritas in malis operibus
exercetur ut fiant, superbia uero eciam
bonis operibus insidiatur ut pereant,
et quid prodest
dispergendo dare pauperibus et
pauperem fieri cum anima misera
superbior efficitur diuicias
contempnendo quam fuerat possidendo?

Augustinus ibidem (de communi uita uel
regula clericorum).

Sed
rursus etiam illi qui
aliquid esse uidebantur in saeculo non
habeant fastidio fratres suos qui ad illam
sanctam societatem ex paupertate
uenerunt. Magis autem studeant, non de
parentum diuitum dignitate, sed de
pauperum fratrum societate, gloriari.
Nec extollantur, si communi uitae de
suis facultatibus aliquid contulerunt, nec
de suis diuitiis magis superbiant, quia
eas monasterio partiuntur, quam si eis in
saeculo fruerentur. Alia quippe
quaecumque iniquitas in malis operibus
exercetur ut fiant, superbia uero etiam
bonis operibus insidiatur ut pereant:
et quid prodest
dispargere dando pauperibus et
pauperem fieri, cum anima misera
superbior efficitur diuitias
contempnendo, quam fuerat possidendo?

Augustinus Hipponensis, *Regula tertia
uel praeceptum*, 1, 7 (L. Verheijen ed.,
pp.419-20, ll.23-33).